

præbent justam causam divortii. Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 16; Tholosan, lib. IX, *Syntagmat.* cap. xv, cum Glossa communiter recepta in can. *Sicut*, 39, cau. 7, q. 1, §. *Judicari*. Ratio est, quia levis verberatio, qua ob justam causam vir uxorem correctionis causa excipit, licita est, Joan. Andreas, in c. *Quemadmodum*. 25, de *Jurejur.* n. 16, et ibi Abbas, n. et § fin.; Hostiensis, ad finem; Ancharanus, n. 12; Alexander de Nevo, n. 13; Sanchez, loc. cit. n. 16, cum Glossa citata communiter recepta, arg. l. *Præceptoris*. ff. ad *Legem Aquil.* Accedit, quod levis verberatio non importet sævitiam; unde, etiamsi absque justa causa fiat, non præbet causam divortii, ut bene advertit Sanchez, loc. cit. et confirmatur diocesium usu et consuetudine, « quæ est optima legum interpret. » L. 37, ff. de *Legib.*

39. *Imo nec propter gravem præteritam, si non sit periculum in futurum. Vir etiam ex justa causa non potest graviter verberare uxorem, bene vero leviter.* — Resp. III. Verberatio etiam gravis et atrox jam præterita, quæ ex insolita ira, vel perturbatione processit, ac justum timorem, aut probabile periculum ejusdem etiam in futurum exercendæ non inducit, non est sufficiens causa faciendi divortium, Sanchez, loc. cit.: Gutierrez, lib. I, Can. quæst. cap. xxiv, n. 9; Layman, lib. V, tract. X, p. III, cap. vii, n. 17, § Secundo dixi; Castro Palao, de *Sponsal.* disp. 3, pun. 6, § 9, n. 7; Barbosa, Rub. ff. *Soluto Matrim.* p. 2, n. 32, et alii communiter docentes, non esse attendendam malam, et atrocem tractationem præteritam, sed justum timorem, et probabile periculum hujusmodi in futurum secuturæ, quæ plane timeri prudenter non potest ex eo, quod vir alias satis pacifice cum uxore vivens una aut altera vice, ob insolitam iram, aut extraordinariam perturbationem, vel circumstantiam verberibus graviter tractet uxorem: quamvis cæteroquin per hoc culpabilis sit, utpote qui uxorem etiam graviter delinquentem graviter puniendi ac verberandi non habet potestatem; nam graviter vel atrociter puniendi delinquentem etiam servum, nedum mulierem, judici competit, ut bene advertunt Abbas, loc. cit. et alii, arg. § « Sed hoc tempore Instit. quæ sunt sui, vel alieni. » Unde hodie punitur vir, qui sine causa leviter verberat uxorem.

40. Cæterum ratio, quare ob solam præteritam gravem, vel atrocem verberationem

non possit fieri matrimonii divortium, est; tum quia ex una vel altera præcedenti gravi verberatione facta, ex subitanea ac inconsueta ira, etc. non præsumitur sævitia viri: tum quia solum ad evitandam injuriam imminentem, non ad ulciscendam illatam permittitur conjugum divortium ob sævitiam alterius. Tum quia uxor ob sævitiam viri separata, iterum redire debet, si sævitia cesset, et eidem sufficienter cautum est: ergo multo magis, si simile tractamentum in futurum timendum non est. Hinc bene monet Gutierrez, loc. cit. cautos esse debere advocatos, ut non solum præteritæ sævitiae, sed et timoris ac periculi probabilis de futura, nisi separantur conjuges, deductionem faciant.

41. *Probabilis timor, aut periculum gravis, etsi non lethalis verberationis, aut atrocioris tractationis in futurum præbet sufficientem causam divortii.* — Resp. IV. Propter probabilem timorem et periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis futuræ, etiam secluso vitæ periculo, valide ac licite potest fieri divortium quoad thorum, et cohabitationem. Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 16; Bosco, de *Matrim.* disp. 2, sect. 16, concl. 13, a n. 446; Pontius, lib. IX, cap. xxiii, n. 5; Engel, h. t. n. 23; Layman, loc. cit. n. 16, § *Oportet autem*, cum communi aliorum, arg. l. *Consensu*. 8, § 2, c. de *Repud.* et Novell. 22, cap. xv, ibi: « aut si flagellis super ea utatur. » Ratio est, tum quia gravis aut atrox verberatio, vel crudelis tractatio causant metum cadentem in virum constantem. Tum quia conjuges cum tanto periculo non censentur se obligasse ad cohabitandum.

42. Infertur. Adesse sufficientem divortii causam non tantum si vir insidietur vitæ uxoris, aut hæc alias sine vitæ periculo ob illius sævitiam eidem cohabitare non possit (de quo nemo dubitat, arg. l. *Consensu de Repud.*) sed etiam, si ex viri genio, passione, cholera, nimia ira, præcedentibus actibus, aut aliis circumstantiis probabile periculum gravis verberationis, aut crudelis, vel atrocis tractationis apparet. Et quamvis periculum ex præcedenti una gravi verberatione regulariter non præsumatur, præsertim si facta est ex insolita ira, aut extraordinaria circumstantia: tamen eæ possunt concurrere circumstantiæ, ut etiam ex uno præcedenti tali actu probabiliter, et merito timeantur etiam similes in futurum.

43. *Minæ quando ad hoc sufficient? et universaliter quando metum gravem incutiunt?* — Solæ tamen minæ gravis verberationis aut crudelis tractationis non præbent sufficientem causam divortii; nisi minans alias solutus sit minas suas equi, aut ex minantis genio, natura, vel minandi modo executio minarum probabiliter timeatur. Secus enim minæ justum timorem in virum constantem non incutiunt. Sanchez, loc. cit. n. 13; Mascardus, de *Probat.* concl. 1376, n. 2 et 3; Menochius, de *Arbitr. judic.* cent. 2, casu 140, n. 2, arg. l. unica, c. *Si quis Imperatori*, ibi: « Ex personis hominum dicta pensemus. » Et l. *Famosi*. ff. ad *Leg. Jul. Majest.* ibi: « Nam et persona spectanda est, an potuerit facere, et an ante quid fecerit: » l. *Metum*. c. de *His, quæ vi*: ibi: « Metu non jactantibus tantum, vel constantibus, sed atrocitate probari convenit. » et l. *Hæc autem*. ff. *Si cui plus*: ibi: « Cum possint elusoriæ fieri minæ. »

44. *Gravis verberatio, aut crudelis tractatio, quæ? — Cæterum quænam gravis verberatio, aut crudelis, vel atrox tractatio sit, quando item attendendæ censeantur minæ, multum pendet ex arbitrio prudentis judicis, pro diversitate personarum, et circumstantiarum judicantis.* Pontius, lib. IX, cap. xxiii, n. 5; Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 10 et alii regulam universalem tradunt, dicentes, eam esse verberationem gravem, seu atrocem, aut crudelem tractationem, quæ consideratis personis gravem metum, cadentem in virum constantem incutit: veluti (ut Pontius exemplificat) percussio: ex qua abortus sequitur: item quæ sanguinolenta est (non ex naribus) et vulnus facit, præsertim in capite, facie: item, quæ ad tempus infirmitatem uxoris causat, ita ut per aliquot dies in lecto se continere debeat. Item quæ sit in pectore: ita ut per aliquot dies sanguinem spumet uxor: item si fit baculo in percussione fracto etc. item, et vel maxime, quæ cum vitæ periculo fit, ut si vir apponit uxoris collo aut pectori gladium, scopletum, cum animo, aut minis occidendi: secus est, si faciat ad eruendum aliquod secretum. Advertit insuper Pontius, loc. cit., et cum Bosco, minores molestias sufficere ad probandam sævitiam viri, si uxor nobilis est, pudica, honesta, ac morigera, quam si plebeia, rixosa, immorigera, etc.

45. *Ob periculum gravis verberationis potest uxor discedere, etsi ex culpa illam promerita*

esset. — Resp. V. Sævitia viri, aut gravis, vel atrocis verberationis, vel crudelis tractationis probabilis timor et periculum præbet sufficientem divortii causam; etiamsi uxor culpam committat tam acri castigatione dignam; Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 16, ad finem, Bosco, disp. 12, sect. 16, concl. 13, a n. 443; Pirhing, h. t., n. 61; Pontius, lib. IX, cap. xxiii, n. 5, in fine, arg. can. de *Benedicto*. 5, caus. 32, q. 1, et l. *Nec timorem*. 7. ff. de *Re, quod metus causa*. Ratio est; quia quamvis uxor ob qualitatem delicti possit puniri et castigari tali gravi, vel atroci pœna, tamen hæc non competit viro, sed Judici per dicta n. 39. juncta l. *Præceptoris*. 6. ff. ad *Leg. Aquil.* ibi: « Præceptoris enim nimia sævitia, culpæ assignatur. » Abbas, in c. *Quemadmodum*. de *Jurejur.* n. 14. ad finem.

46. *Etiam propria auctoritate: et quo modo?* — Resp. VI. Quando uxor ex sævitia viri patitur probabilem timorem, aut periculum vitæ, membri, gravis, aut atrocis verberationis, aut crudelis tractationis juxta dicta, potest propria auctoritate discedere a viro, non quidem ad faciendum verum et constans divortium, sed ad vitandum tale periculum, donec causa coram judice proposita, sententia feratur, vel eidem sufficiens cautio de securitate præstetur. Gutierrez, lib. I, can. quæst. cap. xxviii, n. 8; Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 3; Bosco, loc. cit., n. 441; Engel, h. t., n. 23; Pirhing, h. t. num. 62; Layman, lib. V, tr. X, p. 3, cap. vii, n. 18, arg. *Ex transmissa*. 8. et c. *Litteras*. 13. de *Restit. Spoliat.* Ratio est; quia existente, et urgente tali periculo, jus naturæ defensionem quovis modo etiam ex fuga capiendam concedit, arg. l. *Ut vim*. 3. ff. de *Jure et Justitiæ*. et l. *Itaque*. 4. ff. de *Leg. Aquil.* ibi: « Nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere. »

47. Quod, si tamen periculum in mora non esset, sed uxor usque ad sententiam judicis securam foret, propria auctoritate discedere non posset; prout conclusionem bene limitant doctores citati, arg. c. *Transmissa*, et c. *Litteras de Restit. Spoliat.* Advertit nihilominus Engel, loc. cit., in casu sævitiae ordinariæ etiam subesse periculum in mora, consequenter posse uxorem non expectata judicis sententia, imo nondum facta accusatione, propria auctoritate discedere juxta dicta num. præced.

48. *Non tenetur redire, nisi vir prius cau-*

tionem sufficientem præstet de non offendendo. — Resp. VII. Si uxor ob probabilem metum et periculum mortis, mutilationis, vel gravis, atrocisve verberationis, crudelis tractationis, etc. ex sævitia viri proveniens, propria auctoritate discedit, non tenetur redire ad virum, nec ad redeundum a iudice compelli potest, nisi eidem, prius sufficiens cautio de non offendendo præstetur, etiamsi vir ante omnia petat restitutionem uxoris, donec illius sævitia probetur. Abbas, in c. *Ex transmissa*. 8. de *Restit. Spoliat.* n. 2. et ibi doctores Pontius, lib. IX, cap. XXIII, n. 7; Gutierrez, loc. cit.; Engel, loc. cit., cum communi, arg. can. *De benedicto*. cau. 32, q. 4, et c. *Ex transmissa*. 8. de *Restit. Spoliat.* ubi dum mandat Papa, ut mulier discedens viro restituatur, additur: «recepta tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre,» et c. *Litteras*. 13. eod.

49. *Quæ sit cautio sufficiens?* — Censetur autem cautio sufficiens, quæ fit per pignora, vel fidejussores, Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 40, cum communi arg. l. *Mandato*. 59. § fin. ff. *Manuati*, quam si ob inopiam præstare nequit maritus, sufficit cautio mariti juratoria. Sanchez, loc. cit., n. 38 et 42; Engel, h. t., n. 23; Pirhing, eod. n. 62; Layman, loc. cit., n. 17, cum communi, arg. Auth. *Generaliter*. c. de *Episcop. et Cleric.* Ratio est, quia «nemo potest ad impossibile obligari,» c. *Nemo de Reg. Jur.* in 6.

50. *Si sævitia viri, aut aversio animorum est nimia, tunc etiam sub cautione non tenetur redire.* — Si tamen tanta est sævitia, odium, aversio, passio, aut vindicta viri, ut per cautionem uxori sufficienter non esset provisum, ipsaque cautione non obstante, periculo exposita probabiliter censeretur, non tantum non restitui, sed viro adhuc cohabitans amoveri, et in loco probo ac honesto usque ad causæ decisionem tuto collocari debet, textu expresso c. *Ex transmissa*. 8. de *Restitut. Spoliat.* ibi: «Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod merito de ipso diffidat, alicui probæ, et honestæ mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosius committatur in loco, ubi vir, et parentes ejus mulieri nullam possint inferre violentiam.» Et c. *Litteras*, eod. in fine, ibi: «Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet restitui, sed ab eo potius amoveri.»

51. *Idem dic, si sævitia est plene probata.* — Imo Pontius, lib. IX, cap. XXIII, n. 6. allegans plures alios, et rotæ decisionem, docet, quod si uxor plene probet viri sævitiam, cautionem de non offendendo accipere non teneatur, sed divortium absolute petere possit, eo quod tunc tantum cautioni huic locus sit, quando sævitia plene probata non apparet, sed indicia solum, et signa adsunt: non autem si sævitia concludenter probata habetur; tunc enim fragilitati cautionis fidentum non est.

52. *Praxis procedendi in causa sævitie.* — Ex dictis deducitur cum Gutierrez, lib. I, can. quæst. cap. XXIV, n. 5 et 6. Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 30; Layman, loc. cit., n. 17, praxis servanda a iudice ecclesiastico. Videlicet, quod, quando uxor ex causa sævitie petit divortium, iudex, interroget causam timoris de futura viri sævitia, petatque ut designet testes sævitiam probantes: quo præstito, si iudici causa timoris, et testes sufficientes videntur, statim interlocutorie pronuntiet, ut uxor interea ponatur in tuto apud honestam et probam matronam, viroque et consanguineis ejus prohibeat, ne malum aliquod uxori inferant, ipseque vir eidem alimenta, et litis expensas subministret, donec causa decidatur. Dein examinet testes, totamque causam, et videns, quod per sufficientem cautionem de non offendendo, uxori sufficienter provisum sit, jubeat eam ad virum sub cautione per eum præstanda redire: si vero sævitia plene probata, vel tanta esset, ut per cautionem uxor segura non foret, divortium absolute institui debet.

53. *Etiam ob sævitiam uxoris datur divortium. Defensio est juris naturalis.* — Resp. VIII. Non tantum ob sævitiam viri, sed etiam ob sævitiam uxoris, præsertim insidiantis vitæ mariti, aut machinantis mortem illius, fieri potest divortium. Sanchez, lib. X, disp. 18, n. 8; Abbas, in c. 1, h. t., n. 4. et ibi Hostiensis, n. 2. Joan. Andreas, n. 3; Ancharanus, in fine, Palao, de *Sponsalibus*. disp. 3, p. 6, § 9, n. 6. cum communi contra Glossam, in c. *Quæsit*. §. *vel alio, de Jurejur.* et nonnullos doctores. Ratio manifesta est; quia jus naturale cuivis concedit facultatem adversus vim injustam se tuendi, et periculum illius quovis modo declinandi, arg. l. *Vim*. 3. ff. de *Jure et justitia*. et l. *Itaque*. 4. p. ff. ad *Leg. Aquil.* ergo.

54. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod c.

*Ex transmissa*. 8. et c. *Litteras*. 13. de *Restitut. Spoliat.* aliaque jura ob sævitiam viri divortium concedentia, de sola sævitia viri mentionem faciant. Nam contra est; quod hoc ideo fiat, quia viri sævitia frequentioris casus non restringunt dispositionem legis.

Nec obstat can. *Quidquid*. 22, caus. 32, q. 5, ibi: «Quidquid mulier tua contra te cogitaverit aut fecerit, vel si accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda.» Resp. enim illum canonem non excludere causas in jure expressas; alias enim nec ob hæresin vir dimittere posset uxorem.

55. *De divortio ob morbum unius.* — Quæritur V. An? et quando ob morbum unius fieri possit divortium? Resp. Ad hoc quæsitum patere supra tit. VIII. de *Conjugio Leprosorum*. ubi vide.

56. *Ob recensitas causas non fit perpetuum divortium.* — Quæritur VI. An ob recensitas causas fieri possit divortium perpetuum; consequenter eo facto liceat innocenti ingredi religionem? Resp. Negative, communis. Ratio est; qui facta emendatione teneatur innocens iterum redire ad nocentem, et eum recipere.

Limitatur tamen quoad ingressum in religionem in divortio facto ex causa hæresis, juxta dicta n. 31 et 32.

De educatione prolium, et alimentatione eidem præstanda in casu divortii dicitur infra, et tit. seq. de *Restitut. dotis, aut omissione ejusdem, et aliorum*.

## § III.

## DE DIVORTIO QUOAD THORUM PERPETUO EX CAUSA ADULTERII.

57. *Ob adulterium unius licet alteri institui divortium jure divino, et humano.* — Quæritur I. An? quando? et quomodo propter unius adulterium fieri possit divortium quoad thorum, et cohabitationem? Resp. I. Jure divino licitum est conjugii innocenti facere divortium quoad thorum, et cohabitationem ob consummatum, et culpabile adulterium alterius. Ita fere unanimis. Et quidem de jure divino patet ex Christi verbis Matth. 19. «Quicumque dimiserit uxorem, nisi propter fornicationem, mœchatur:» ergo propter fornicationem, quæ in conjugibus semper adulterium est, licet dimit-

tere. De jure humano constat ex c. *Significasti*. 4. c. *Ex litteris*. 5. et c. *Gaudemus* 8. h. t. cum concordant.

58. *Sive vir, sive mulier adulteretur.* — Nec refert, an vir, adulteretur, an mulier; enimvero huic ob adulterium mariti licitum esse solvere matrimonium quoad thorum et cohabitationem, docet Bosco, disp. 12, sect. 16, conclus. 2; Sanchez, lib. X, disp. 3, n. 6; D. Bonaventura, in 4, dist. 35, q. 3; Abbas, in c. *Intelleximus*. 5. de *Adulter.* n. 3 et ibi Hostiensis n. 3. et alii tam theologi, quam canonistæ fere omnes, contra Cajetanum in hoc singularem, cujus sententiam falsam, et temerariam vocat Sanchez, loc. cit., valde claro arg., can. fin., caus. 32, q. 5, can. *Si quis uxorem*. 4, caus. 32, q. 1, can. *Apostolus*. 3. can. *Placuit*, caus. 32, q. 7. Confirmatur ex illo Apostoli 1, ad Corinth. 7, v. 12. ibi: «Qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit (ob justam videlicet causam, quam ipse Deus allegat, fornicationem nempe, ut notatur can. *Apostolus*. caus. 32, q. 7.) manere innuptam, aut viro suo reconciliari.» Ratio est; quia non minus vir, quam mulier adulterando fidem violat conjugalem, ob quam violationem divortium licitum est.

59. *Idem est, si alterutra pars sodomiam committat, aut bestialitatem.* — Resp. II. Licitum est parti innocenti institui præfatum divortium, non tantum propter alterius carnalem copulam adulterinam naturalem, sed etiam propter sodomiticam, aut bestialem, et bestialitatem sive activam sive passivam, Sanchez, lib. X, disp. 4, n. 3; Covarruvias, de *Sponsal.* p. 2, cap. VII, § 5, n. 8; Pontius, lib. IX, cap. XXI, n. 5; Pirhing, h. t. n. 5, cum communi aliorum, arg. can. *Meretrices*, can. 32, q. 4, et can. *Dixit Dominus*, ead. cau. q. 1. Ratio est; quia etiam per talem copulam carnem suam in aliam carnem dividit contra matrimonii fidem exigentem, ut sint «duo in carne una» Genes. 2, hinc dicitur cit. can. *Dixit Dominus*, cau. 32, q. 1. «Cum illa unam carnem in alium diviserit, et se fornicatione a marito separaverit, non debet teneri.»

60. *Non item ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione, sine copula facta.* — Resp. III. Nomine adulterii justam divortii causam præbentis non veniunt amplexus, oscula, tactus impudici, etiam cum pollutione proprii, vel alieni corporis sine copula